



TASSILO Vtilonis & Hiltrudę ducum Boiorum filius natus est, anno septingentesimo quadragesimo primo. Cum annum duodecimum ageret, ab Vtilone patre in aulam Pipini regis Francorum auunculi sui, eo tempore potentissimi, mittit, ut uarijs uirtutibus instructus patrię rectius praeesse posset. Vbi etiam annos duodecim uersatus est.

Eo tempore ipse omnis generis militaria exercitia didicit, atque alios æquales suos longè superauit. In primis uero legibus Francorum operam dedit, atque ciuilorem uitam in Bauariam referre proposuit. Itaque amici eius maximam de eo fortitudinis & prudentiae spem conceperunt. Cæteri

uerò iam tum adolecentem suspectum habere, atque uereri ne aliquando per eum & similes Germanorum principum filios Francorum gloria adeo q̄ Romanum Imperium à Francis in interiorem Germaniam reuocaretur. Itaque quidam ex ipsis Tassiloni clām insidias tendere, atque Pipino regi eum iniūsum reddere statuerunt. Hos uero Tassilo partim beneficij, partim blandimentis sibi reconciliare, atque in primis Pipinum auunculum suum amicum conseruare decreuit, sperans se se hac ratione plurimum eius opera promoueri posse.